

remitto. Mihi autem constans videtur jura quæ dicunt possessionem amitti solo animo, non loqui de pura voluntate interna, sed necessarium semper esse ut quis cedat possessionem alteri, ut in lege 1, § *Si vir*, eodem titulo. Cessio autem saltem requirit manifestationem illius animi et acceptationem; non ergo hoc excluditur in aliis legibus, sed significatur non esse necessarium corpore recedere a re possessa, si sit immobilis. Ad quartum respondetur requiri externum signum, vel sufficienter declarans internum affectum ab alio acceptandum, vel lege statutum, vel acceptatum, ut dictum est, et in sequentibus magis exponetur.

23. *Ad expressam renuntiationem, et voluntatem internam et signum externum requiri.* — Unde tandem addo ad expressam renuntiationem privilegii non solum esse necessariam voluntatem internam satis formalem, sed etiam signum externum satis expresse declarans illam voluntatem: nam si tantum illam ostendat per aliquod signum implicitum et obscurum, erit potius tacita renuntiatio. Unde recte videntur illa duo membra distingui, quia renuntiatio expressa fit verbis, tacita vero fit potius factis vel omissionibus; verba enim expresse significant interiorem affectum, facta vero implicite et subobscurè. Imo ad explicatam renuntiationem, necesse est ut verba sint satis clara: nam si sint ambigua, in dubio non privabitur quis privilegio suo: nam in dubio melior est conditio possidentis. In quo dubio, quod attinet ad internum forum stabitur intentioni et assertioni renuntiantis; in externo vero stabitur dispositioni juris, et conservabitur privilegium donec aliud sufficienter probetur. Et hæc videntur sufficere de priori membro illius divisionis, scilicet, explicata renuntiatione; tacita vero in sequentibus capitibus magis exponetur.

CAPUT XXXIV.

UTRUM PER NON USUM PERDATUR PRIVILEGIUM PROPTER TACITAM RENUNTIATIONEM, VEL PROPTER ALIUM TITULUM.

1. *Tacita renuntiatio contingit dupliciter vel tripliciter.* — Duobus modis cogitari potest implicita seu tacita renuntiatio privilegii, scilicet, per non usum ejus, vel per contrarium usum, quibus addi potest tertius, scilicet, per abusum, quamvis hic proprie ad renuntiationem non pertineat, licet aliquid de illa parti-

cipet, ut infra dicam. Renuntiatio enim tacita, ut paulo antea dixi, maxime attenditur ex signis vel indicis externis quæ non aperte, sed per conjecturas ostendunt voluntatem carenti privilegio: hæc autem conjecturæ maxime videntur sumi posse ex ordine ad usum privilegii, in quo tria illa membra distingui possunt, de quibus sigillatim dicendum est.

2. *Per aliquem non usum amittitur privilegium.* — *Quatuor vel quinque inquirenda.* — Quod ergo ad non usum spectat, sententia est valde recepta per aliquem non usum privilegium amitti, quam docent Glossa, Innocent., Panorm., Decius, Felin. et alii in cap. *Cum accessissent*, de Constitutionib., Bart. et alii in leg. *Falso*, c. de Diver. rescript., et in leg. 1, ff. de Nundin. Unde cum proportione inferunt restringi privilegium per usum restrictum, quatenus includit non usum majoris gratiæ vel favoris, ut notat Bald. supra, n. 8, ex Bart., in lege *Usum aquæ*, c. de Aquæduct., lib. 1; et Jas., in leg. ult., ff. de Constitutionib. princip.; est enim eadem ratio in non usu quoad partem quæ est in toto. Ut autem veritas hujus sententiæ expendatur et res tota declaretur, quatuor vel quinque inquirere et explicare necessarium est. Primum, de quo non usu sit sermo; secundum, quomodo intelligi valeat hæc amissio privilegii per non usum; tertium, quanto tempore durare debeat non usus ut hunc effectum inducat; quartum, an hæc amissio privilegii sit vera, et in conscientia, vel sit præsumpta tantum in foro externo, et consequenter an sit ipso facto, vel tantum per iudicis sententiam.

3. *Circa primum notandum.* — *Duplex non usus privilegii.* — Circa primum oportet advertere hunc modum amissionis privilegii habere locum tantum in privilegiis affirmativis quæ aliquid faciendum indulgent, quia negatio affirmationi opponitur; sicut enim ommissio peccaminosa præcepto affirmativo est opposita, sic etiam non usus privilegii solum opponitur privilegio aliquem usum concedenti; quod affirmativum appellamus. Duobus autem modis potest contingere ut aliquis non utatur hujusmodi privilegio. Unus dici potest mere negativus; alius privativus, seu proprie omissivus, morali modo loquendo. Priori modo non exequitur quis privilegium quando oportunitas vel occasio pro qua datum est, non occurrit; sicut enim præceptum affirmativum, licet obliget semper, non tamen pro semper, ita privilegium affirmati-

vum, licet semper habeatur, non tamen pro semper, sed pro certis opportunitatibus, ut patet de privilegio audiendi Missam tempore interdicti, vel habendi suffragium in electione, etc. Quando ergo quis non utitur tali privilegio extra occasionem et tempus pro quo datum est, tunc est non usus mere negativus; sicut qui non exercet actum præceptum eo tempore pro quo non obligat affirmativum præceptum, non potest dici omittere præceptum, sed tantum non exercere actum illius.

4. *Non usus mere negativus non destruit privilegium.* — Unde etiam fit ut, sicut hæc negatio non est contraria præcepto, ita ille non usus non opponatur privilegio, et ideo talis non usus, quancumque tempore continetur, non sufficit ad amissionem privilegii, quia non est morale indicium voluntatis renuntiandi privilegio. Ita docent omnes, et facile probatur ex dictis, quia talis non usus nec per se inducit aliquid privilegio repugnans, cum illi non opponatur; ergo nec inducit tacitam renuntiationem, quia nullum indicium est voluntatis relinquendi privilegium, cum non procedat a tali voluntate, imo nec a voluntate non utendi privilegio, sed habeat aliam causam moralem adæquatam et propriam, scilicet, carentiam occasionis vel opportunitatis exercendi actum concessum per privilegium; ergo non potest prudenter attribui voluntati renuntiandi privilegio: ergo illa negatio non est morale indicium talis voluntatis, et consequenter non habet unde inducat tacitam renuntiationem privilegii. Et ita habetur expresse in Margarita Baldi, verbo *Statutum*, § 6, et citat l. *In filiis*, c. de Decurion., l. 10, propter illa verba: *Etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit*; ubi Gloss. ait: *Quædam enim habere possumus, etsi nobis utilia non sunt*; sic ergo habere possumus privilegium, etiamsi occasio non detur utendi illo. Atque ita notat etiam Bartol. in eadem lege, et Glossa in c. *Ut privilegia*, de Privileg., verb. *Semel in anno*; et ibi Panormit., et cons. 101, l. 1; Decius, in c. *Cum accessissent*, de Constit., n. 17; et Felin. ibi; et Mandos., tractat. de Privileg. ad instar, Gloss. 11, n. 9, qui alios refert; et plures Menoch. in Scholio ad Bartol. in dict. l. *In filiis*; et Franc. Balb., tract. de Præscript., 4 p. quintæ p. princip., q. 4, n. 3, ubi alia congerit.

5. *Alius modus.* — *Non usus privativus destruit privilegium si adsit voluntas et poten-*

tia. — Alius modus non utendi privilegio affirmativo est, quando in propria occasione, et pro eo tempore pro quo concessum est, omittitur ejus usus, et hunc vocamus non usum privativum seu omissivum, quia est carentia actus in tempore habili, et pro quo maxime esse posset vel deberet, juxta tenorem privilegii, servata proportione ad omissionem actus præcepti pro eo tempore pro quo præceptum obligat. Et de hoc non usu intelligenda est communis sententia, et jura quæ de hac materia loquuntur. Quia talis non usus opponitur suo modo privilegio, et potest esse aliquod morale indicium voluntatis renuntiandi illi: unde necesse est ut in tali omissione concurrant conditiones necessariæ ut ille non usus voluntarius sit, quæ sunt scientia et potentia; quia si non usus non sit voluntarius, non potest esse indicium alicujus voluntatis, nec moralem effectum inducere, ut per se constat: ergo nec potest esse indicium renuntiationis, quæ voluntaria esse debet. Si ergo quis non utatur privilegio tempore opportuno, quia est impotens, absens, infirmus, aut quia per violentiam impeditur, talis non usus non potest illi nocere ut privilegium postea amittat, quia voluntarius non est, idemque argumentum procedit de ignorantia, quia causat etiam involuntarium. Quæ doctrina sumitur ex Glossa in cap. *Abbate*, verb. *Donec*, de Verbor. signification., et ex aliis auctoribus allegatis. Qualis vero ignorantia ad hoc sufficiat, in sequentibus dicemus.

6. *Circa non usum.* — *Duplex modus.* — Circa secundum, oportet advertere duobus modis intelligi posse privilegium amitti per non usum: unus est per viam præscriptionis seu usucapionis, alius est per viam tacitæ renuntiationis. Hi enim duo modi sine dubio sunt longe diversi; nam quando res amittitur per præscriptionem, non amittitur ex voluntate amittentis, sed ex efficacia alicujus legis, etiam invito priori domino et possessore; quando vero per renuntiationem deseritur, amissio fit ex voluntate possidentis, ut dictum est, sive illa voluntas expresse, sive tacite solum indicetur. Et ita Gloss. hos duos modos distinxit in c. ult., 16, quæst. 4, significans longius tempus requiri ad præscriptionem quam ad tacitam renuntiationem.

7. Igitur in solo non usu non habere locum præscriptionem contra privilegium, videtur sumi ex Panorm., in c. *Joannes*, de Cler-

conjug., n. 9, ubi ait per non usum non induci consuetudinem, quia consuetudo consistit in assuefactione, id est, actuum repetitione, c. *Cum consuetudo*, d. 1, cum similibus; at vero in non usu non est actus, præcise enim loquimur; ergo nec assuefactio nec consuetudo inde generari potest; ergo nec præscriptio, quia hæc per consuetudinem inducitur; ergo non usus non potest tollere usum in vi præscriptionis. Confirmat hoc Panorm. adhibendo exemplum in eo qui damnum passus agere potest ex l. *Aquila*, contra nocentem: nam licet per longum tempus nolit contra illum agere, non amittit suam potestatem, nec inducta censetur consuetudo contra illam legem, et reddidit rationem, quia illa lex non necessitat ad agendum, sed tantum præbet facultatem agendi. Et inde concludit generalem regulam, per negationem actus non contrariam legi præcipienti, sed tantum permittenti, non induci consuetudinem. Quæ omnia videntur habere eandem rationem in privilegio, quia non necessitat sed dat facultatem, et ita negatio usus non est contra legem præcipientem, sed permittentem; ergo per non usum non inducitur consuetudo, vel præscriptio contra privilegium.

8. *Confirmatur.*—Confirmatur, quia nec ipse privilegiarius non utendo præscribit contra se, nec alius contra ipsum; ergo ex vi non usus non inducitur præscriptio tollens privilegium. Consequentia clara est, quia ubi est præscriptio, aliquid jus tribuit; ergo alicui tribuit; ergo vel privilegiario vel alteri, quia non datur medium. Prima item pars antecedentis videtur per se nota; tum quia nemo potest contra se præscribere, quia præscriptio in propria definitione et ratione includit habitudinem ad alterum, contra quem jure conceditur, ut ex propria materia suppono; tum etiam quia nulla materia præscriptionis ibi intervenit contra privilegiarium; aut enim posset præscribere ipsum non usum, seu jus non utendi, et hoc non est præscriptibile, quia unusquisque quasi ex natura rei habet hanc facultatem, similes autem facultates non sunt materia præscriptionis, ut late tradit Balbus tract. de Præscript., in 5 p. princip., 4 p. illius, q. 1; vel præscriberet obligationem non utendi suo privilegio, et hoc etiam dici non potest, quia nemo præscribit contra suam voluntatem neque in suum præjudicium, sed in suum commodum, et voluntarie: obligatio autem ad non utendum privilegio est de se onerosa, et consequenter est contra intentio-

nem non utentis, per se loquendo et secundum ordinarium morem hominum. Altera vero pars antecedentis imprimis videtur clara in privilegiis non dicentibus ordinem ad alios, quia usus vel non usus nihil interest aliorum, sed solius privilegiarii; ergo ibi nullus est qui possit contra privilegiarium præscribere. Deinde probatur etiam de aliis privilegiis quæ circa alios versantur; tum ratione facta, quia alii nullum habent usum vel consuetudinem; ergo nec præscriptionem efficere possunt: nam, ut dicitur in l. *Nec utilem*, ff. Ex Quib. caus. major, etc., iniquum est auferre dominium quod usus non abstulit, id est, dominium unius sine usu alterius; ergo idem est cum proportionem in privilegio; tum quia præscriptio supponit possessionem, alii vero nihil possident quod præscribant; tum etiam quia non intelligitur amissum, quod oblatum alteri non est, ut in eadem l. *Nec utilem* dicitur; sed qui non utitur privilegio, nihil offert alteri, neque actionem circa illum exerceat; ergo nec amittit privilegium propter aliquam alterius præscriptionem.

9. *Responsio.*—Ad hoc vero responderi potest, licet privilegium non amittatur per præscriptionem positivam (ut sic dicam), amitti tamen per præscriptionem privativam, seu privantem aliquo jure. Voco præscriptionem positivam illam per quam aliquid jus acquiritur, de qua recte procedunt rationes factæ, quia hæc in usucapione consistit. Unde et hoc nomine proprie et generaliter vocatur; non potest autem intelligi usucapio sine usu positivo. Privativam autem præscriptionem appello, quæ solum tollit jus, vel dominium aliquod, et hanc dico sufficere ad amissionem privilegii et posse fieri per solum non usum. Et imprimis hunc modum amissionis esse possibilem constat ex l. 1 et 2, ff. pro Derelicto, ubi dicitur rem pro derelicto habitam statim desinere esse nostram, prius etiam quam ab alio acquiratur vel possideatur, quamvis res sic derelicta occupabilis ab alio statim sit, et primi occupantis fiat si in suo esse perseveret; nam si non duret, sed statim destruat, ut in juribus incorporalibus interdum contingit, poterit ab uno amitti, etiamsi ab alio non acquiratur nec occupabilis sit. Potest autem fieri ut res habeatur pro derelicta ex vi alicujus non usus, seu derelictionis: ergo illa recte dicitur præscriptio amissiva, seu privativa, quæ in privilegiis locum habebit. Minor probatur, primo, quia sicut res acquiratur usu positivo

diuturno, eadem ratione amittetur non usu diuturno: nam sicut illud expedit ut dominia rerum sint certa, ita hoc expedit ad eundem finem, ut sit certum quæ res acquirantur primo occupanti. Et confirmatur, quia res mobilis aliena per triennium usucapitur bona fide: ergo si per triennium sit ab alio derelicta per non usum, et ab alio postea occupatur, statim fiet illius, quia illa occupatio cum priori non usu domini æquivalet triennali usucapioni: ergo signum est per illum non usum fuisse rem amissam. Secundo, principaliter hoc invenitur in juribus incorporalibus, ut sunt servitutes et actiones: nam servitus rusticana perditur per purum non usum certi temporis, ut habetur ex l. *Sequitur*, § *Si viam*, ff. de Usucap.; clarius in l. *Hæc autem*, ff. de Servit. urban. præd., et l. penult. c. de Servitut. Et similiter actiones extingui solent et amitti per non usum earum certi temporis, juxta l. 3, c. Præscript.; ergo eodem modo poterit amitti privilegium per modum præscriptionis privantis jure privilegii: nam illud etiam incorporale est, et similem subit rationem.

10. *Refellitur responsio dicta.*—Sed hic modus explicandi hanc præscriptionem non videtur cum fundamento applicari ad privilegium. Primo, quia licet fateamur aliquando posse dominium vel possessionem rei amitti, etiamsi in alium non transferatur, ut probant aliqua ex juribus citatis, tamen nunquam hoc fit per præscriptionem pure privativam, nisi interveniat positiva præscriptio alicujus; sed hæc in privilegiis non invenitur, ut in priori puncto probatum est: ergo non potest illa doctrina recte ad privilegium applicari. Major declaratur, discurrendo per duo genera bonorum quæ in argumentis tanguntur. Quædam enim sunt corporalia, quæ naturaliter et corporaliter possideri possunt, quæ quidem amitti possunt, relinquendo illa pro derelictis, etiamsi inde nihil aliud acquirat; tamen hæc derelictio nunquam intelligitur fieri per solum non usum, cujuscumque temporis sit; ergo non fit per modum præscriptionis in amittendo, ut sic dicam. Minor probatur, primo ex Glossa 1 in dicta l. 1, ff. pro Derelicto, ubi ait rem mobilem tunc intelligi derelictam cum abjecta est, immobilem vero cum de illa quis exit, animo derelinquendi, sentiens, non sufficere non usum, nisi et animus et actio aliqua externa illum manifestans interveniat; hoc significatur ibi in l. 2, cum dicitur *desinere omittentis esse*;

ergo solus non usus etiam diuturnus non sufficit. Secundo, talis modus præscriptionis non est ex sola rei natura; nulla enim præscriptio est ex sola naturali lege, ut suppono tanquam notum; sed nullum est etiam jus civile vel positivum, quod disponat, per non usum alicujus temporis amitti hæc bona, ita ut statim habeantur pro derelictis, et sint occupabilia a primo contrectante; ergo non datur talis modus amissionis. Tertio, quamdiu alicuius rem suam possidet, non potest pro derelicta haberi, licet multo tempore illa non utatur, quia dum res juste possidetur, non est occupabilis a quocumque alio: ut vero possessionem amittat, non sufficit non usus, sed necessarius est animus dimittendi rem cum aliquo modo actualis dimissionis ejus, ut supra dixi; ergo solus non usus talium bonorum nunquam sufficit ut pro derelictis habeantur.

11. *Differentia inter acquisitionem per usucapionem, et amissionem per non usum.*—Unde notari potest obiter differentia inter acquisitionem per usucapionem, et amissionem per non usum: nam usucapio supponit possessionem rei, et addit continuationem ejus; nam sine possessione non est præscriptio, et ideo etiam, e converso, non usus per se non sufficit ad amissionem domini, nisi prius possessio tollatur. Et ita servabitur proportio quod, sicut acquisitio supponit possessionem, ita derelictio supponit desitionem seu desistentiam a possessione rei; et quando hæc præcedit cum sufficienti voluntate dimittendi bona, per illam amittuntur, et manent pro derelicto: ergo hoc non fit per subsequentem non usum, licet idem possit magis ac magis ostendere priorem dimissionem, et verum animum a quo processit. Et ita nihil includit prior ratio facta, quia licet dominium possit amitti relinquendo rem sub nullius dominio, quod vocatur pro derelicto, non tamen probatur hanc amissionem fieri per solum non usum sine actione prævia dimittendi rem. Neque etiam valet confirmatio. Nam usucapio non fundatur in non usu alterius, sed in diuturno usu cum possessione et bona fide, et ideo repugnat dominium per usucapionem sine temporis legitimi successionem comparari. Ut autem acquiratur per rei occupationem, impertinens est quod non usus domini præcesserit: nam si res dimissa fuit, statim occupari potest, licet non usus per aliquod longum tempus non præcesserit: si vero non fuit res dimissa, nullus non usus

præcedens sufficit ut per solam occupationem dominium ejus acquiratur.

12. *Alia ratio refellitur.* — Alia vero ratio de præscriptione jurium incorporalium, ut servitutum et actionum, non videtur posse ad privilegia accommodari: nam in illis etiam juribus nunquam datur amissio juris per præscriptionem, nisi ut consequens ad positivam præscriptionem per quam aliquid acquiritur tali juri contrarium. Unde præscriptio et amissio non sunt in eodem, sed unus præscribit contra alium, et præscribens aliquid acquirit repugnans juri alterius, qui consequenter illud amittit. Id declaratur optime in servo præscribente suam libertatem, juxta l. 2, c. de Præscript. long. temp. pro libert.; ibi enim dominus amittit jus in servum, servus autem est qui præscribit suam libertatem contra dominum; et ideo ex parte servi conditiones ad præscribendum necessariae postulatur, nec fieri potest ut dominus amittat jus in servum per solum non usum ejus, nisi præcesserit, vel ex parte domini sufficiens manumissio, vel ex parte servi possessio suæ libertatis cum bona fide et sufficienti temporis diuturnitate. Ita etiam accidit, servata proportionem, in amissione servitutis rusticanae per non usum, licet inter illam duplicem servitutem hominis et agri seu prædii sit differentia, quod prior servitus, quam personæ appellare possumus, fundatur in dominio heri in personam servi, qui etiam a domino possidetur: alia vero servitus realis seu prædialis fundatur solum in jure unius in prædium alterius quoad aliquem usum ejus. Unde jus illud cadit in rem alienam, et a proprio domino possessam. Et ideo dicunt jura de his servitutibus loquentia, nemini rem suam servire, sed alienam, l. *In re communi*, ff. de Servit. urb.

13. *Jus servitutis quando amittitur.* — Hinc ergo fit ut jus servitutis non amittatur per non usum diuturnum, nisi quatenus dominus prædii præscribit libertatem et exemptionem rei suæ; illa enim obligata erat et obnoxia ut alteri serviret; dum autem dominus longo tempore illam possidet, eaque utitur sine impedimento et sine usu serviendi, præscribit contra alterum libertatem rei suæ, et inde consequenter alter jus suum amittit. Idem cum proportionem invenitur in amissione actionis per non usum; non enim fit sine præscriptione alterius contra talem actionem; nam talis actio versatur circa alium qui est obnoxius tali actioni tanquam debitor; dum

ergo iste per certum tempus possidet rem suam rerumve suarum libertatem, illam præscribit quoad hoc ut non possit tali titulo in judicium vocari. At vero hic modus amissionis non videtur posse in privilegiis inveniri, quia ostensum est, per non usum privilegiarii nullum alium præscribere. Et confirmari hoc potest auctoritate Baldi in c. *Ad audientiam*, de Præscript., n. 2, in fine, dicentis per privilegium principis comparari jus sine possessione, et illud jus non amitti, *etiamsi privilegiarius per triginta annos sit sine possessione, ex quo alius interim in contrarium non præscripsit*, ex dicta l. *Nec utilem*, ff. Ex quibus causis major, etc.

14. *Additur aliud argumentum Alberici.* — *Refellitur responsio.* — *Gravior causa ad tollendum jus commune quam privilegium.* — Denique addi potest argumentum Alberici in l. *Falso*, c. de Diver. rescript. Quia lex non tollitur per non usum, quia per solum non usum nemo præscribit contra legem: ergo idem erit in privilegio. Sed responderi potest negando antecedens, quia præcipiens aliquid fieri tollitur per non usum, ut supra dictum est. At hoc solum procedit in lege imponente necessitatem, quando pro temporibus in quibus obligat non servatur, et de hoc fit longa consuetudo: nam ille non usus est legi contrarius, et semper includit (moraliter loquendo) usum legi contrarium, ut libro superiori dictum est. Ratio autem facta, ut verum in antecedente sumat, et cum proportionem concludat, intelligi debet de lege concedente facultatem seu permittente, non vero de imponente necessitatem, ut ex Panorm. supra notavimus, et sensit Molin. tractat. 2 de Just. disp. 513, in fine; et ita consequentia videtur optima, ut supra circa dictum Panorm. notatum est. Nihilominus tamen Deci. in c. *Cum accessissent*, de Præscript., negat consequentiam. Quia difficilius (inquit) tollitur lex communis quam specialis, juxta l. *Ejus militis*, § *Militia*, ff. de Milit. testam., ubi id notat Glossa, verb. *Quocumque modo*. Sed non placet ratio nec responsio: nam licet quoad alia difficilius tollatur lex communis, non vero quoad modum derogationis per consuetudinem, seu præscriptionem, servata proportionem, et hoc ultimum solum ad præsens spectat. Itaque tollitur difficilius lex communis quoad effectum: nam id quod jure communi habetur, difficilius tollitur quam quod habetur ex solo privilegio, et hoc ad summum probat dictus § *Militia*, ut ex Bart. ibi sumitur, et ex Gloss.

in cap. ult., 46, quæst. 4. Item gravior causa necessaria est ad tollendam legem communem quam privilegium, et ex parte difficilius etiam tollitur, quia bonum commune privato præfertur, Authen. de non alien., etc., c. 9, col. 2, ubi Gloss. verb. *Valere*, et Glossa in cap. *Si super gratia*, de Offic. deleg., in 6, verb. *Principalis*. In modo autem tollendi legem vel privilegium per consuetudinem vel non usum, nulla ratio differentia, vel excessus firmitatis ex parte legis assignari potest, servata proportionem, nisi fortasse in hoc, quod majus tempus forte requiritur ad tollendam communem legem quam privilegium, de quo postea videbimus: nunc enim non refert. In hoc vero quod ad utrumque sit necessarius usus contrarius et non sufficiat non usus, omnino videtur eadem ratio, quia sicut in non usu talis legis permittentis nullus est qui præscribat vel quasi præscribat contra legem, ita in non usu privilegii nullus est qui contra illud præscribat.

15. *Distinctio inter privilegia præmittenda.*

— *Unum genus privilegiorum.* — *Aliud genus privilegiorum.* — *Privilegium eligendi confessorum in rigore neminem gravat.* — Nihilominus in hoc puncto distinguendum videtur inter privilegia: quædam enim sunt quæ aliquid concedunt privilegiario respectu aliorum, ex quibus in alios redundat aliquod onus, vel quasi servitutis genus, ut sunt privilegia decimas accipiendi extraordinario modo, vel imponendi aliquod tributum; talis etiam reputari potest facultas eligendi ex privilegio, quatenus redundat in gravamen aliorum, et simile reputatur privilegium nundinarum in Glossa, in dicta l. 1, ff. de Nundinis. Alia vero sunt privilegia quæ vel sunt quasi absoluta, quia solum concedunt privilegiario aliquid circa actiones suas sine respectu ad alios, ut sunt privilegia audiendi Missas in loco interdieto, vel tempore non concessio, vel recitandi ante horam, vel comedendi lactinia, et similia: vel certe licet circa alios versentur, favorabilia simpliciter reputantur respectu aliorum, quia sunt utilia et in rigore neminem gravant. Talia videntur privilegia audiendi confessiones, vel eligendi confessorem: licet enim videantur aliquo modo in præjudicium ordinarii pastoris, hoc tamen non consideratur, quia potius est juvamen ejus, et præcipue quia magis consideratur favor animarum.

16. *Prima conclusio: quæ privilegia per non usum amittantur.* — *Responsio.* — *Impugnatur.* — *Explicatur assertio.* — Dico ergo primo, pri-

vilegia prioris generis quæ redundant in gravamen et quasi servitutem aliorum, eatenus posse præscriptione amitti per non usum privilegiarii, quatenus alii possunt contra privilegiarium præscribere, quod frequenter non fit sine aliquo positivo actu ipsius præscribentis. Hæc assertio sumitur ex communi sententia in principio recitata: nam auctores qui dicunt privilegium amitti per non usum, certum tempus requirunt ad illam amissionem; unde plane sentiunt illam amissionem esse ratione alicujus præscriptionis seu usucapionis: ergo necesse est hoc intelligi de privilegiis in quibus alius potest præscribere contra privilegiarium ob non usum. Responderi vero potest etiam tunc non intercedere præscriptionem ex parte alienjus, sed simplicem amissionem privilegii ex voluntate principis, vel ex institutione alicujus juris determinantis modum conservandi privilegium. Sed licet hoc sit probabile, quando princeps in ipsa scriptura privilegii talem modum præscribit, vel in casibus in jure expressis, ut statim dicam, nihilominus extra hos casus potest amitti privilegium per non usum legitimi temporis: ergo necesse est ut id fiat per modum præscriptionis, et ex vi alicujus communis juris ad præscriptiones pertinentis, quia non potest alio modo cum fundamento affirmari talis modus amittendi privilegium, cum tamen sint multi casus in quibus non videatur posse negari, ut in non usu privilegii ad eligendum cum aliis qui jus habent ordinarium eligendi et illo de facto soli utuntur, et in non usu privilegii eligendi decimas, et similibus. Ratio vero est, quia hæc privilegia redundant in servitutem seu obligationem aliorum, et ideo jura, quæ disponunt de amissione servitutum per non usum, in similibus privilegiis locum habent. Sicut si privilegium expresse concederet servitutem per alienum prædium (imo licet proprius dominus prædii illam donasset), nihilominus per non usum legitimi temporis amitteretur; ergo. Addidi autem in fine assertionis sæpius hanc præscriptionem non fieri sine positivo actu ipsius præscribentis, quia sæpe non intelligitur privilegiarius non uti privilegio, nisi quando alii exercent actum sine illo, ut eligendo, verbi gratia, sine privilegiato ad eligendum, acquirendo decimas sine illius consortio, etc. Et tunc fit præscriptio contra privilegium, ad instar præscriptionis urbanarum servitutum, in qua requiritur aliquis actus ex parte præscribentis, ut ex propria materia constat.